



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 264. Vtrùm Adam, & Angeli habuerint solum adiutorium sine quo non, seù purè sufficiens, non autem adiutorium; quo siuè efficax?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

ru Sancto infusus, à quibus actibus recedendo per contrarios actus infidelitatis, & amoris ini ipsius, inceperunt tenebrescere, & frigesce-
re. Patet, considerando verba allata Augustini cum verbis immediate antecedentibus, & consequentibus. Dicit ergo Augustinus, *Spontaneus est autem iste defectus*, quo nimirum primi parentes defecerunt ab amore summi boni, quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum auerteretur, & ex hoc tenebresceret, & frigeret, ut vel illa, hoc est Heua verum crederet dixisse serpentem, vel ille, hoc est Adam, Dei mandato uxoris preponeret voluntatem, putaretque se venialiter transgressorem esse precepti, si vite sue sociam non desereret etiam in societate peccati; ergo per Augustinum primi parentes, deficiendo à fide, & charitate, defecerunt ab illustratione, & accensione diuina, ac proinde illustratio, & accensio, de qua loquitur, consistebat in ipsis actibus fidei, & charitatis, non autem in præuijs actibus indeliberatis.

21. Ad 3. nego maiorem. Existimo enim ex dictis num. 17. Adamum ultra adiutorium gratiæ, & habituum, & oblationis concursus &c. indiguisse etiam specialibus adiutorijs in singulis opportunitatibus datis, quibus iuuaretur ad actus salutes exercendos, quæ adiutoria consistere in qualitatibus transeuntibus à Deo infusis. Probatum; nam Adam, & Angeli, sicut poterant peccando destruere in se gratiam, & actus liberos, sic poterant obseruando diuina præcepta per actus salutes in se ipsis conseruare gratiam, & actus liberos; ergo indigebant auxilijs supernaturalibus physicis, & efficienter concurrentibus ad actus liberos conseruatiuos gratiæ, & habituum infusorum; sed habitus gratiæ, & habituum non poterant physicè concurrere ad actus salutes conseruantes gratiam, & habitus, alioquin data fuisset mutua causalitas, per quam habitus in eodem instanti producerent actus, à quibus pro eodem instanti conseruarentur; ergo indigebant auxilijs supernaturalibus distinctis à gratia habituali, & ab habitibus infusis. Confirmatur: nam voluntas dum intelligitur proximè potens, & indifferens ad hoc, ut vel peccando destruat gratiam, & habitus, vel faciendo actus salutes, conseruet gratiam, & habitus, intelligitur iam præuenta auxilijs necessarijs, & sufficientibus ad eliciendos actus salutes conseruatiuos gratiæ, & habituum pro tali instanti; sed dum intelligitur proximè potens gratiam destruere, vel conseruare, non intelligitur iam habens gratiam conseruatam; ergo intelligitur habens auxilia distincta à gratia, & habitibus, ac proinde Adamus, & Angeli indigebant auxilijs distinctis à gratia, & habitibus, quæ auxilia consistere in qualitatibus transeuntibus, ut dictum est, & alibi magis explicabitur. Hinc patet responsio ad tertium argumentum;

Transmittendo enim, quod Pelagius admitteret gratiam habitualem, & habitus supernaturales, dico, quod Pelagius mordicus negabat, quod Adam, & Angeli ad eliciendos actus salutes conseruatiuos gratiæ, & habituum, indigerent pro singulis opportunitatibus alijs auxilijs actualibus consistentibus in qualitatibus transeuntibus; S. Augustinus autem docuit, quod talibus actualibus auxilijs indigebant, licet non indigerent auxilijs medicinalibus, quibus per motus indeliberatos voluntas impelleretur ad actus bonos, & ad non peccandum.

22. Ad 4. respondeo eodem pacto, quod necessitatem horum auxiliorum, quæ Pelagius negabat, docuit Augustinus.

23. Ad 5. Sanctus Augustinus docuit Adamum, & Angelos indiguisse gratia illos regente, custodiente, & adiuuante ad gratiam habitualement, & habitus conseruandos, quæ gratia consistere in auxilijs qualitatibus transeuntium pro singulis opportunitatibus ipsis subministratarum.

24. Ad 6. Sicut nos ad conseruandam vitam, & sanitatem corporalem ultra ipsam vitam, & ultra habitum sanitatis, indigemus alimentis extrinsecus subministratis; sicut ad videndum, ultra potentiam visuam, eiusque intrinsecas dispositiones, indigemus auxilio lucis extrinsecus infuso à corpore luminoso; sic Adam, & Angeli ad conseruandam vitam spiritualem gratiæ, & ad eliciendos actus salutes conseruatiuos gratiæ, & habituum, indigebant qualitatibus quibusdam transeuntibus, & veluti luce quadam spiritali diuinitus à Deo pro singulis opportunitatibus infusa; ideoque Augustinus ad explicandam hanc necessitatem vitur exemplis alimentorum, & lucis.

QVÆSTIO CCLXIV.

Virum Adam, & Angeli habuerint solum adiutorium sine quo non, seu pure sufficiens, non autem adiutorium quo, seu efficax?

1. **V**identur Adamus, & Angeli habuisse tantum adiutorium sufficiens, hoc est dans solum posse, non autem adiutorium efficax, hoc est dans non solum posse, sed etiam velle, & operari: primo quia expressè Augustinus hoc dicit lib. de Corrept. & Gratia, cap. 11. & 12.

2. Secundo gratia sanitatis, seu naturæ sanæ, & integræ ex Augustino per hoc differt, à gratia medicinali, seu naturæ ægrota, & vulneratæ, quod illa dat solum posse, hæc autem non solum dat posse, sed etiam velle, & operari; sed Adam, & Angeli habuerunt solum gratiam naturæ sanæ, & integræ; ergo &c.

3. Ter-

3. Tertio ex eodem Augustino merita Adami, & Angelorum fuerunt ex libero arbitrio, licet non sine gratia; merita nostra in natura lapsa sunt ex gratia, licet non sine libero arbitrio: sed ideo merita Adami, & Angelorum fuerunt ex libero arbitrio, licet non sine gratia, quia gratia dabat illis solum posse mereri, non autem dabat ipsa merita, ideoque erat solum sufficiens; gratia data nobis non solum dat posse mereri, sed etiam dat ipsa merita, cum sit efficax: ergo &c.

4. Respondeo S. Augustinum lib. de Corrupt. & Gratia, cap. 12. distinguere duo adiutoria, quorum alterum vocat adiutorium, sine quo aliquid non fit, aliud adiutorium, quo aliquid fit. Verba Augustini initio cap. 12. sunt. Itemque ipsa adiutoria distinguenda sunt. Aliud est adiutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Explicat hoc exemplis, subdens: nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit, ut vivat qui mori voluerit: ergo adiutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adiutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adiutorium, & quo fit est, & sine quo non fit, quia, & si data fuerit beatitudo, continuo fit beatus, & si data nunquam fuerit, nunquam erit.

5. Ex hac doctrina S. Augustini inferitur primo adiutorium sine quo non coincidere cum adiutorio, quod Scholastici vocant purè sufficiens, adiutorium quo fit coincidere cum adiutorio efficaci. Patet: nam adiutorium purè sufficiens est, quod ita dat posse, ut non det ipsum velle, nec ipsam sanctam operationem: adiutorium efficax est id, quod non solum dat posse, sed dat etiam ipsum velle, & ipsam sanctam operationem; sed auxilium sine quo non dat solum posse; auxilium quo fit dat ipsum velle, & ipsam sanctam operationem; ergo &c.

6. Inferitur secundo, quod ex mente Augustini adiutorium, quo fit, est non solum, quod præcedit, & causat id, ad quod datur, in genere causæ efficientis, vel impellentis, sed etiam quod illud causat in genere causæ formalis. Pater: nam S. Augustinus dicit beatitudinem esse adiutorium, quo homo fit beatus: sed beatitudo est causa formalis constituens hominem beatum: ergo adiutorium causans aliquid infallibiliter etiam in genere causæ formalis, est adiutorium, quo illud fit, seu adiutorium efficax. Hinc sequitur, quod cum Deus dat velle bonum, operari bonum, perseverare in bono, ipsum velle est adiutorium quo, siue efficax ad volendum, ipsum operari, & perseverare in bono est auxilium quo, siue efficax ad operandum, & perseverandum in bono. Adiutorium igitur quo, siue efficax est, quod est infallibiliter connexum cum eo, propter quod datur, ita ut dari non possit, quia sit id, propter quod datur.

7. His positis, Iansenius lib. de Gratia primi hominis, & Angelorum, cap. 14. & sequentibus, & lib. 2. de Gratia Christi Salvatoris, cap. 4. & alibi sæpissimè, ac fustissimè docet Adamum, & Angelos ad merendum, & perseverandum habuisse solum adiutorium sine quo non, ac sufficiens, non autem adiutorium quo, siue efficax: at verò homines in natura lapsa habere solum adiutorium quo, siue efficax, non autem adiutorium sine quo non, siue sufficiens, & hanc sententiam tribuit S. Augustino, in eaque fundat suos præcipuos errores.

8. Dicendum primo cum sententia communi Catholicorum: Adamus, & Angeli in natura integra non solum acceperunt auxilium sine quo non, seu sufficiens, sed etiam ad multos actus bonos, & meritorios vitæ æternæ, acceperunt auxilium, quo, siue efficax. Probatur: nam Adamus, & Angeli in natura integra exercuerunt plures actus bonos, & meritorios vitæ æternæ: nam exercuerunt actus liberos fidei, spei, & charitatis, quia Deum super omnia dilexerunt: sed hos actus acceperunt à Deo, siquidem creatura nullum bonum potest habere, quod non accipiat à Deo, iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. 4. Quid habes quod non accepisti? ergo Deus Adamo, & Angelis dedit actus fidei, spei, & charitatis, bonos, supernaturales, ac meritorios vitæ æternæ: sed actus fidei est adiutorium quo ad credendum, actus spei est adiutorium quo ad sperandum, actus charitatis est adiutorium quo ad Deum super omnia bona diligendum, siquidem adiutorium quo ad aliquid ex mente Augustini est, quod non solum illud infallibiliter causat in genere causæ efficientis, sed etiam quod illud causat in genere causæ formalis, ideoque Augustinus dicit beatitudinem esse adiutorium, quo sumus beati: ergo Deus Adamo, & Angelis dedit adiutorium quo, seu efficax ad plures actus exercendos.

9. Confirmatur primo: nam omnes Angeli boni habuerunt finalem perseverantiam: sed nihil habuerunt, quod non acceperint: ergo Deus Angelis bonis dedit ipsam finalem perseverantiam: sed finalis perseverantia fuit adiutorium, quo facti sunt perseverantes, sicut beatitudo fuit adiutorium, quo facti sunt beati: ergo non solum acceperunt auxilium sine quo non, seu sufficiens, quo nimirum potuerunt perseverare, vel non perseverare, sed etiam acceperunt auxilium quo, siue efficax, quo facti sunt perseverantes: ergo falsum est, quod iuxta doctrinam S. Augustini Adamus, & Angeli in natura integra habuerunt solum adiutorium sine quo non, seu sufficiens, non, autem adiutorium quo, siue efficax.

10. Confirmatur secundo: nam S. Augustinus lib. 2. de Peccatorum meritis, & Remissione, cap. 13. sic probat non solum ex Deo esse liberum arbitrium, quo possumus bene, vel malè velle, sed etiam ipsam bonam voluntatem

tatem, qua bene volumus: Si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, qua adhuc potest esse bona, vel mala, bona autem voluntas ex nobis est, melius est quod a nobis, quam quod ab illo est: quod si absurdissime dicitur, oportet fateamur etiam bonam voluntatem nos diuinitus adipisci; sed idem argumentum probat Adamum, & Angelos in natura integra habuisse à Deo bonam voluntatē: ergo Angeli, & Adamus acceperunt à Deo bonam voluntatem; sed bona voluntas fuit adiutorium quo, siue efficax ad bene volendum: ergo Angeli, & Adamus acceperunt non solum adiutorium sine quo non, seu sufficiens, sed etiam adiutorium quo, siue efficax ad bene volendum.

11. Confirmatur tertio: nam Augustinus lib. de Corrupt. & Gratia, cap. 11. post medium expressè dicit loquens de Adamo: Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem. In illa quippe cum fecerat, qui fecerat rectum: dederat adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet, ut autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio: ergo S. Augustinus docet Deum Adamo dedisse bonam voluntatem: sed bona voluntas, de qua loquitur, erat actus charitatis, in quo poterat perseverare, si vellet, ideoque lib. 14. de Ciu. cap. 7. dicit: Recta itaque voluntas bonus amor, & perversa voluntas malus amor: ergo Deus dederat Adamo actum charitatis, qui est adiutorium efficax ad Deum amandum. Ideo S. Augustinus lib. 14. de Ciu. cap. 11. dicit. Fecit itaque Deus, sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bona. Non enim rectus esset bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus Dei est; cum ea quippe ab eo factus est homo: mala autem voluntas prima, quoniam omnia mala opera præcessit in homine, defectus potius fuit ab opere Dei ad sua opera, quam opus ullum: sed mala voluntas, quæ omnia opera mala præcessit in homine, fuit actus malæ voluntatis: ergo bona voluntas, quæ fuit opus Dei in Adamo, fuit actus bonæ voluntatis: ergo Deus dedit homini illum actum, qui fuit auxilium quo, & efficax ad bene volendum, ac proinde iuxta Augustinum, Adamus, & Angeli ab initio habuerunt non solum adiutorium sine quo non, seu sufficiens, sed etiam adiutorium quo, seu efficax.

12. Dicendum secundò: homines in statu naturæ lapsæ habent à Deo non solum adiutorium quo, siue efficax, sed etiam adiutorium sine quo non, seu purè sufficiens.

13. Probatur primo: nam iusti, qui non perseverant in bono, procul dubio non habent adiutorium quo, siue efficax ad perseverandum: sed ex Augustino habent adiutorium sine quo non, seu sufficiens ad perseverandum; ergo in statu naturæ lapsæ homines non solum habent adiutorium quo, seu efficax, sed etiam adiutorium sine quo non, siue merè sufficiens. Probatur minor: nam S. Augustinus in hoc eodem libro de corrupt. & Gratia, cap. 7. circa initium dicit: Iustior enim videtur excusatio dicentium: non accepimus audientiam, quam

dicentium, non accepimus perseverantiam, quoniam potest dici homini, in eo, quod audieras, & tenueras, perseverares, si velles, nullo autem modo dici potest, id, quod non audieras, crederes, si velles; sed non potest dici homini perseverares, si velles, nisi habeat auxilium sine quo non ad perseverandum: ergo qui non perseverant, nihilominus habent auxilium sine quo non ad perseverandum. Probatur minor: nam S. Augustinus sæpè eodem libro dicit, quod homo carens adiutorio sine quo non etiam in natura integra non posset perseverare, si vellet. Cap. enim 12. dicit: Qui eis, scilicet lapsis, non solum dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare, si velint, sed in eis etiam operatur & velle: & paulo post habens Adam virtutem liberi arbitrii, quamvis defuturo adiutorio, sine quo non posset perseverare, si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet; & cap. 11. Posset ergo Adam permanere, si vellet, quia non deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet: ergo ex S. Augustino homo etiam in natura integra sine adiutorio, sine quo non, seu sufficiens, non posset perseverare, si vellet: ergo à fortiori in natura lapsa sine adiutorio sine quo non, seu sufficiens, non posset perseverare, si vellet; sed ex eodem Augustino Deus homini in natura lapsa non perseveranti dicere posset: In eo quod audieras, & tenueras, perseverares, si velles: ergo scietur etiam in natura lapsa homines non perseverantes habere adiutorium sine quo non, & purè sufficiens ad perseverandum.

14. Probatur secundo: nam ex Augustino pluribus in locis, & præsertim lib. de Gratia, & libero arbitrio, sicut oratio, qua petimus aliquid à Deo, ostendit illud esse donum Dei, ac Deum posse illud nobis dare: nam, insipienter à Deo peteremus quæ Deus nobis dare non posset; sic præceptum, quo Deus nobis aliquid iubet, ostendit nos posse illud per liberum arbitrium facere: nam Deus non præciperet quod per liberum arbitrium facere non possemus, ideoque S. Augustinus lib. de Gratia, & lib. arbitrio, initio cap. 16. dicit: Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non inberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? sed Deus etiam transgredientibus præcepta iubet, ut observent præcepta, & si sciret se velle illi negare adiutorium sine quo non, seu sufficiens ad observantiam præceptorum, vel saltem ad petendum tale adiutorium, sciret illos non posse observare præcepta; siquidem adiutorium sine quo non, seu sufficiens ex Augustino est sine quo non possumus: ergo qui transgrediuntur præcepta divina habent adiutorium sufficiens ad præcepta observanda, vel saltem ad petendum tale adiutorium; adeoque homines etiam in statu naturæ lapsæ habent adiutorium purè sufficiens. Probatur maior, afferendo loca S. Augustini. Lib. de Gratia, & lib. arbitrio cap. 2. ante medium dicit: Quid illud, quod iam multis locis mandata sua custodiri, & fieri iubet

iubet Deus? Quomodo iubet si non est liberum arbitrium, quo nimirum possint facere quod facere iubentur: & paulo post Augustinus cum enumerasset plura mandata, quibus Deus in nouo, & veteri testamento conuenit voluntatem nostram, dicendo ad Rom. 12. *Noli vinci à malo: psalm. 31. Nolite fieri sicut equus, & mulus: Proverb. 1. Noli repellere consilia matris tuæ:* in fine capitis concludit, nempe ubi dicitur, *noli hoc, & noli illud, & ad aliquid faciendum, vel non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Quomodo enim Deus diceret *Noli hoc*, si per liberum arbitrium non possemus illud nolle? sed si non haberemus auxilium sufficiens ad volendum, vel saltem non possemus illud petere, & orando impetrare, non possemus nolle: nam sine adiutorio sufficiens, & sine quo non, non possumus iuxta doctrinam S. Augustini; ergo etiam cum transgredimur diuina præcepta dicentia, *Noli hoc, noli illud*, habemus adiutorium sine quo non, seu purè sufficiens ad illa obseruanda.

15. Probatur tertio: nam S. Augustinus lib. de Gratia, & libero arbitrio, cap. 15. in fine dicit. *Ad hoc enim valet, quod scriptum est Ecclesiast. 15. si volueris conseruabis, mandata, ut homo, qui voluerit, & non potuerit, nondum plene se velle cognoscat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiunatur, ut faciat quod iubetur. Tunc enim utile est velle, cum possumus, & tunc utile est posse, cum volumus. Nam quid prodest si quod non possumus volumus, aut si quod possumus nolumus?* ergo ex S. Augustino aliquando possumus obseruare mandata, & tamen nolumus: sed sine adiutorio sine quo non, seu sufficiente non possumus: ergo aliquando habemus adiutorium sufficiens ad obseruanda mandata, & caremus auxilio quo, seu efficaci. Sed hæc magis explicabuntur in solutione obiectionum.

16. Ad 1. S. Augustinus lib. de correp. & Gratia docet quidem Adamum habuisse solum adiutorium sine quo non, seu purè sufficiens ad perseuerandum, non autem auxilium quo, seu efficax ad perseuerandum, quod nos vitio fatemur, siquidem de facto non perseuerauit, at non dicit Adamum ad illos actus bonos, quos de facto liberè exercuit, habuisse solum adiutorium sufficiens, & caruisse efficaci, imo dicit oppositum, ut ostensum est num. 11. Quod Augustinus dicens Adamum habuisse solum adiutorium sine quo non, seu sufficiens, loquutus sit de perseuerantia, patet ex pluribus Augustini testimonijs Libro enim de correp. & Gratia cap. 12. paulo post initium dicit: *Primo itaque homini datum est adiutorium perseuerantie, non quo fieret, ut perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset:* & paulo post loquens de prædestinatis in natura lapsa dicit: *Qui eis non solum dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseuerare, si velint, sed in eis etiam operatur & velle.* Paulo post dicit, loquendo de Adamo: *Habens virtutem liberi arbitrij, quamuis non desu-*

turo adiutorio Dei, sine quo non posset perseuerare, si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet: ergo manifestè Sanctus Augustinus dicit Adamum habuisse solum adiutorium sine quo non, seu sufficiens ad perseuerandum, & caruisse adiutorio quo, siue efficaci ad perseuerandum, cum prædestinati in natura lapsa habeant vtrumque; at non negat vniuersim Adamum ad actus bonos, quos de facto exercuit, habuisse solum adiutorium sine quo non, seu sufficiens, caruisse adiutorio quo, siue efficaci, ac præterea nunquam dicit Angelos, qui perseuerarunt, non habuisse auxilium quo, siue efficax ad perseuerandum. Cap. etiam 11. eiusdem libri solum docet Adamum non habuisse adiutorium quo, siue efficax ad perseuerandum dicens. *Sane habuit gratiam, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deseruit;* & paulo post: *tale quippe erat adiutorium, quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non qua fieret, ut vellet:* ac deinde: *sic adiunabatur, ut sine hoc adiutorio in bono non maneret, sed hoc adiutorium, si vellet, desereret:* & paulo inferius; *Possit ergo permanere, si vellet, quia non deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere quod vellet: sed quia noluit permanere, profecto eius culpa est;* ergo S. Augustinus dicens Adamum habuisse solum auxilium sufficiens, & sine quo non, loquitur de perseuerantia, ac non negat illum habuisse auxilium quo, siue efficax ad actus, quos de facto exercuit, & ne videretur id negare, studiosè vititur vocibus significantibus perseuerantiam, quales sunt *perseuerare, manere in bono, permanere in bono, perseueranter bonum tenere:* ac nullus potest afferri locus Augustini, in quo dicat Adamum habuisse solum auxilium sine quo non, seu sufficiens ad actus liberos, quos de facto exercuit, vel quo dicat Angelos, qui perseuerarunt, accepisse solum auxilium sine quo non, seu sufficiens, non autem auxilium quo, siue efficax ad perseuerandum.

17. Dices: si Deus Adamo in statu naturæ integræ præter adiutoria purè sufficientiā dedit etiam aliqua efficacia, & nobis in statu naturæ lapsæ præter adiutoria efficacia, dat etiam aliqua purè sufficientia, non est differentia inter adiutoria naturæ integræ, & naturæ lapsæ: sed S. Augustinus ubique docet esse magnum discrimen inter adiutoria naturæ integræ, & lapsæ; ergo.

18. Respondeo, nego maiorem, & assero multiplex discrimen. Primo adiutorium sufficiens Adami, & Angelorum fuit diuersum ab adiutorio sufficiente lapsum, licet conuenirent in ratione adiutorij sufficientis, & sine quo non. Adam enim, & Angeli habuerunt adiutorium sufficiens perfectæ indifferentiæ sine vlla inclinatione ad alteram partem, & per quod sine vlla difficultate poterant se determinare ad vtramlibet partem. Nam cum carent concupiscentia inclinante ad malum, sine vlla

vlla difficultate poterant se inclinare ad bonum, & cum carerent motibus indeliberatis inclinantis ad bonum, sine vlla difficultate poterant se inclinare ad malum. At homines in natura lapsa carent hoc genere possibilitatis, seu auxilij sufficientis, & cum in ipsis per motus indeliberatos caro concupiscat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, habent auxilium sufficiens, per quod non possunt se determinare ad bonum sine magna difficultate propter resistentiam concupiscentiae inclinantis ad malum. Hinc sequitur secundum discrimen, quod nimirum adiutorium sufficiens, seu possibilitatis datum Adamo fuit adiutorium laetius quidem, & dans maiorem facilitatem, sed entitatiue minus, ac minus potens: adiutorium sufficiens datum homini in natura lapsa est minus laetum, ac dans minorem facilitatem, sed est entitatiue maius, ac potentius. Probatur: nam adiutorium, quo quis potest sine vlla difficultate, quia non debet vincere vllam resistentiam, est quidem laetius, sed sufficit entitatiue minus, ac minus potens. At adiutorium, quo quis possit vincere summam difficultatem ortam ex resistentia contrarij, est minus laetum, sed debet esse entitatiue maius, ac potentius: sed Adam, & Angeli habuerunt adiutorium sufficiens, quo sine vlla difficultate poterant obseruare mandata, quia nulla illis resistebat concupiscentia: nos in natura lapsa habemus adiutorium sufficiens, quo propter resistentiam concupiscentiae non sine magna difficultate possumus obseruare mandata: ergo adiutorium sufficiens Adami, & Angelorum fuit quidem laetius, sed entitatiue minus, ac minus potens: adiutorium sufficiens datum hominibus in natura lapsa est minus laetum, sed entitatiue maius, ac potentius. Hinc probabiliter sequitur adiutorium, quod Adamo fuit sufficiens, si solum nobis daretur in natura lapsa, non fore sufficiens propter resistentiam concupiscentiae. Tertium discrimen est: Adam, quia per peccatum non meruerat carentiam adiutorij ad salutem, non indigebat adiutorio sufficienti per Christi mortem impetrato: nos quia per peccatum originale meremur carentiam adiutorij ad salutem, indigemus ad salutem adiutorio sufficienti per Christi mortem impetrato. Omnia haec discrimina inter gratiam sufficientem datam Adamo, & gratiam datam nobis in natura lapsa, tradit S. Augustinus lib. de corrept. & Gratia initio cap. vi. dicens: *Quid ergo? Adam non habuit gratiam? Imo verò habuit magnam, sed disparem; & paulo post explicat hanc disparem gratiam, dicens: Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti, cum dicunt: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captiuam me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo. Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Quoniam in eo caro concupiscit aduersus spiritum, atque in tali certamine laborantes, & preelutantes, dari sibi*

pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille verò nulla tali vix a se ipso aduersus se ipsum tentatus, atque turbatus in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim latiore nunc, veruntamen potentiori gratia indigent isti. Quartum discrimen est: adiutorium sufficiens Adami, & Angelorum in natura integra non includebat motus indeliberatos, quibus voluntas inclinaretur ad eligendum bonum: adiutorium sufficiens hominum in natura lapsa includit tales motus, vt ex S. Augustino probatum est quaest. 263.

19. Secundo etiam adiutorium in actu primo efficax Adami, & Angelorum fuit diuertum ab adiutorio in actu primo efficaci hominum lapsorum. Adiutorium enim in actu primo efficax Adami, & Angelorum, consistebat solum in possibilitate, & cogitatione congrua: adiutorium efficax hominum lapsorum includit etiam delectationem congruam, & victricem, per quam efficaciter à Deo impellimur ad eligendum bonum. Explicatur. Deus Adamo, & omnibus Angelis dedit adiutorium, & cogitationem, per quam poterant perseverare, si vellent: at Angelis bonis dedit adiutorium, & cogitationem ita attemperatam eorum libero arbitrio, & circumstantijs, vt Deus viderit cum tali adiutorio illos perseveraturos, & dedit ex intentione efficaci, vt perseverarent, quod vocamus adiutorium congruum, & secundum propositum, vt ex Apostolo illud vocat Augustinus, (abstraho nunc à quaestione, vtrum congruitas, & efficacia talis adiutorij esset illi adaequata intrinseca, vt docent Patres Dominicani, vel partim intrinseca, & per denominationem à scientia media, de quo puncto per Pontificias constitutiones disputare non licet.) At Adamo, & Angelis malis dedit adiutorium, & cogitationem non ita attemperatam eorum libero arbitrio, & circumstantijs, vt viderit cum tali adiutorio illos non perseveraturos, quod vocamus adiutorium non congruum, & non efficax. Adiutorium ergo in actu primo efficax in natura integra consistebat solum in possibilitate, & cogitatione congrua, non autem in delectatione congrua, & victrice, ac indeliberata, qua Deus liberum arbitrium impelleret ad electionem, quia Deus liberum arbitrium naturae integre nulla tali delectatione indeliberata impellebat ad actus liberos, vt dictum est quaest. 263. At Deus Praedestinati in natura lapsa non solum dat possibilitatem, & cogitationem congruam ad perseverandum, cum qua nimirum videt perseveraturos, sed etiam dat delectationem congruam, & victricem, quia ita impellit ad perseverandum, vt videat illos perseveraturos, & efficaciter velit perseverare, & vincere resistentiam concupiscentiae: ergo adiutorium efficax naturae lapsae includit etiam delectationem congruam, & victricem, quae delectatio si non daretur, propter resistentiam concupiscentiae, possibilitas, & cogitatio nunquam ef-

set

set congrua. Quod in natura lapsa adiutorium quo, siue efficax in actu primo semper includat delectationem congruam, & victricem, probari potest ex innumeris Sancti Augustini locis. Lib. 2. de Peccatorum Merit. & Remiss. initio cap. 19. dicit: Nos autem, quantum concessum est, sapiamus, & intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctis suis alienius operis iusti aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non a se ipsis, sed ab illo sibi esse lumen, quo illuminentur tenebra eorum, & suauitatem, qua de fructum suum terra eorum. Quid est delectatio victrix, & suauitas, qua de fructum suum terra eorum, nisi delectatio congrua? & ibidem: Cum autem ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque iustitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & suauem faciat quod non delectabat? Et Serm. 11. de Verbis Apostoli, cap. ultimo: Quid haberet terra nostra, nisi ipse seminasset? sed dat & pluuia? non deseruit quod seminauit. Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Hæc nimirum est suauitas, & delectatio congrua. Serm. 4. de Verbis Apostoli. Quem autem delectat lex Dei, & sic delectat, ut omnes delectationes lasciuie vincat, non sibi arroget hanc delectationem. Dominus dabit suauitatem. Quid dicam? Domine da mihi illam suauitatem, vel illam suauis es Domine, & in tua suauitate doce me iustitias tuas. Tunc dico, ut faciam, si in suauitate tua doceas me. Delectatio, qua sic delectat lex Dei, ut omnes carnis lasciuias vincat, est delectatio congrua, & victrix. Sæpe autem S. Augustinus loca illa Psalmi, In suauitate tua doce me iustitias tuas; Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum, intelligit de delectatione congrua, de qua etiam explicat locum illum Psalmi 20. Prauenisti cum in benedictionibus dulcedinis; ut cum in lib. 2. ad Bonif. cap. 9. dicit: Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, & capiamus, hoc est amemus quod precepit nobis: in qua si nos non praue nit Deus, non solum non percipitur, sed nec inchoatur ex nobis. Tract. in Psal. 118. conc. 17 explicans illum locum, ut discam iustificationes tuas, dicit: eo modo hic ergo intelligendus est dixisse, ut discam iustificationes tuas ea notitia, qua sunt. Hoc autem quia non fit, nisi per dilectionem, ubi qui facit habet delectationem, propter hoc dictum est, In tua suauitate doce me iustificationes tuas. Lib. de Spiritu, & littera cap. 29. Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod iubet, atque inspirata gratis suauitate per Spiritum Sanctum, faciat plus delectare quod precipit, quam delectat, quod impedit. Delectatio hæc est delectatio congrua. Serm. 29. dicit Deum facere, ut vineamus nostras concupiscentias, dando menti celestem delectationem, qua omnis terrena delectatio superatur. Tract. 26. in Ioannem explicans illa verba, Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: magna inquit gratia commendatio. Nemo venit, nisi trahatur: & infra omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Videte quomodo trahit Pater. Docendo delectat, non necessitatem imponendo. Ecce quomodo

trahit. Erunt omnes docibiles Dei. Hoc trahere Dei est. Delectatio illa, qua trahit Pater, non necessitatem imponendo, sed dum docendo delectat, est delectatio congrua: & ideo eodem loco dicit. Porro si Poeta dicere licuit, trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio, quanto fortius nos dicere debemus trahi ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur sempiterna vita, quod totum Christum est? Lib. 1. ad Simplicianum, quaest. 2. in fine dicit. Quis habet in potestate tali viso attingi, quo eius voluntas mouetur ad fidem? Quis autem animo complectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficimus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro ex industria, aut operum meritis comparatur. Quid est delectatio, qua proficimus ad Deum, nisi delectatio congrua: ergo ex S. Augustino in natura lapsa adiutorium quo, siue efficax semper includit delectationem congruam. Possent afferri alia loca, sed sufficiunt allata.

20. Inferitur primo, in quo consistat donum perseverantiae, quod ex Augustino datur prædestinatis in natura lapsa, & non datum fuit Adamo in natura integra. Dicendum, quod consistit in delectatione congrua, seu victrice. De hac loquitur S. Augustinus lib. de corrept. & Gratia, cap. 12. dicens. Primo itaque homini datum est adiutorium perseverantiae, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adiutorium perseverantiae datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa doneatur, non solum ut sine ipso perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum, delectationem nimirum congruam, & victricem, non nisi perseverantes sint.

21. Inferitur secundo, cur donum perseverantiae consistens in delectatione congrua, & victrice fuerit necessarium in natura lapsa, non fuerit necessarium in natura integra. Ratio est, quia in natura lapsa voluntas per concupiscentiam infirma, & inclinata ad malum nunquam perseveraret in bono, nisi præveniretur delectatione congrua: at in natura integra, in qua non dabatur concupiscentia, Angelis boni de facto perseverarunt, etiam si non fuerint præventi delectatione congrua, sed præventi fuerint sola cogitatione congrua. Audiat Augustinus eodem lib. de corrept. & Gratia, cap. 12. dicens. Maior quippe libertas est necessaria adversus eos, & tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt, dono perseverantiae, hoc est delectatione congrua, munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus. Hoc sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam & terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate; isti autem, non dico terrente mun-

Cccccc do,

do, sed sciēte, ne starent, steterunt in fide; cum videret ille bona praesentia, quae fuerat reliquiturus, isti futura, quae accepturi fuerant, non viderent. Unde hoc, nisi donante illo, à quo misericordiam consecuti sunt, ut fideles essent; à quo acceperunt spiritum, non timoris, ut persequentibus cederent, sed virtutis, & charitatis, & continentiae, quo cuncta minantia, cuncta inuitantia, cuncta terrentia superarent. Quid fuit spiritus virtutis, charitatis, & continentiae, nisi delectatio congrua de bono virtutis, charitatis, & continentiae, qua impulsus sunt ad superanda cuncta minantia? Inferius eodem lib. & capite magis explicat S. Augustinus efficaciam, & necessitatem delectationis congruae ad perseverandum in natura lapsa, dicens: *Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, per delectationes nimirum congruas, & per motus indeliberatos, quibus impelluntur ad bonum, ut ideo possint, quia sic volunt, per tales nimirum motus indeliberatos, ideo sic velint, quia Deus operatur, ut velint per tales motus indeliberatos. Nam si in tanta infirmitate vite huius, quae infirmitas oritur ex pravis motibus indeliberatis concupiscentiae inclinanti- bus ad malum, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei, sine quo perseverare non possent, maneret, si vel- lent, nec Deus in illis operaretur, ut vel- lent, inspirando illis motus indeliberatos vo- luntatis contrarios motibus concupiscentiae, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua volun- tas ipsa succumberet, & ideo perseverare non posset, quia deficientes infirmitate nec vellet, aut non ita vellet infirmitate voluntatis, ut posset, vincen- te concupiscentia conatus inefficaces, & de- biles voluntatis. Subvenit ergo infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, per delectationes vi- trices, & per motus indeliberatos congruos à Spiritu Sancto inspiratos, & ideo quamvis in- firma, non deficeret, neque adversitate aliqua vince- retur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtu- tem Dei, inspirantis motus indeliberatos con- gruos, cum voluntas primi hominis fortis, & sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrij, quamvis non defuturo adiutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet, dando illi motus indeliberatos voluntatis, quibus impelleretur ad perseverandum. Fortissimo quippe dimisit, atque permisi facere quod vellet, non impellendo illam ad actus liberos per motus indeliberatos voluntatis, sed relinque- do in perfecta indifferentia, & aequilibrio sine ulla inclinatione ad alteram partem, infirmis servavit, ut ipso donante, vitricis delectatio- nes, & congruos motus indeliberatos volun- tatis, inuictissime quod bonum est vellet, & hoc de- severe inuictissime nollent.*

22. Ad 2. desumptum ex eo, quod ex S. Augustino gratia sanitatis per hoc differat à gratia medicinali, quod gratia sanitatis daret

solum posse, gratia autem medicinalis non solum det posse, sed etiam velle, respondeo, quod gratia sanitatis daret solum posse, ac non da- bat vllum velle indeliberatum praecedens actus liberos, & ad illos inclinans; gratia autem medicinalis non solum dat posse, sed etiam dat velle indeliberatum praecedens actus libe- ros, & ad illos inclinans, ut fuit ex Augusti- no probatum est tota quaestione 263. At non est negandum, quod gratia sanitatis possit ef- ficax, adeoque possit dare non solum pos- se, sed etiam ipsum velle liberum. Non so- lum igitur gratia medicinalis, sed etiam gra- tia sanitatis diuidi potest in purè sufficien- tem, & efficacem. Gratia sanitatis purè suf- ficiens est, qua Deus dat purum posse incon- gruum, ex quo videt non secuturum actum liberum bonum, ac non intendens efficaciter, ut sequatur actus liber. Gratia sanitatis effi- cax est, qua Deus dat posse congruum, ex quo videt secuturum actum liberum bonum, in- tendens efficaciter, ut ille sequatur, licet per nullum actum indeliberatum voluntatem im- pellat, & inclinet ad talem actum liberum. Gratia medicinalis purè sufficiens est, per quam Deus dat posse, & velle indeliberatum incongruum, ex quo videt non secuturum actum liberum bonum, ac non intendens ef- ficaciter, ut sequatur. Gratia efficax medici- nalis est, per quam Deus dat posse, & velle indeliberatum, ex quo videt secuturum actum liberum bonum, & efficaciter intendens, ut sequatur. Ceterum non solum gratia medici- nalis, sed etiam gratia sanitatis, cum est effi- cax, non solum dat posse, sed etiam dat ip- sum velle liberum, ac meritorium vitae aeternae, & ipsam sanctam operationem, ut magis ex- plicabitur quaest. 265. proxime sequenti.

23. Ad 3. S. Augustinus dum dicit merita Adami, & Angelorum fuisse ex libero arbi- trio, non negat illa fuisse etiam ex gratia, imo id expressè concedit. Ut enim dictum est num. 11. Augustinus docet Deum dedisse primo homini bonam voluntatem, & illam fuisse opus Dei, ac loquitur de voluntate actuali, sed si Deus per gratiam dedit Adamo actum voluntatis bonum, & meritorium, il- le actus meritorius ita fuit ex libero arbitrio Adami, ut fuerit etiam ex gratia Dei; ergo Augustinus docet contra Pelagium merita Adami fuisse etiam ex gratia Dei. Idem Au- gustinus dum dicit merita nostra esse ex gratia Dei, non negat illa esse etiam ex libero arbi- trio nostro, imo expressè docet ex praeceptis, quibus Deus praecipit nobis actus bonos, & meritorios, ostendi nos posse per liberum ar- bitrium tales actus meritorios exercere. Ideo lib. de Gratia, & libero arbitrio, cap. 9. in fine dicit. *Itaque fratres debetis per liberum arbitrium non facere mala, & facere bona. Hoc enim nobis lex Dei praecipit in libris sanctis sine veteribus, sine novis.* Si per liberum arbitrium debemus fa- cere bona; ergo actus boni, & meritorij ita sunt ex gratia, ut sint etiam ex libero arbitrio, S. Au-

S. Augustinus ergo solum docet, merita Angelorum, & Adami aliquo speciali modo fuisse ex eorum libero arbitrio, quo merita nostra non sunt ex nostro libero arbitrio; & merita nostra aliquo modo speciali esse ex gratia, quo merita Adami, & Angelorum non fuerunt ex gratia. Explicatur hic specialis modus. Primo actus meritorij Adami, & Angelorum fuerunt ex libero arbitrio Adami omnino indifferenti, & in perfecto æquilibrio constituto, ita ut licet adiuuaretur per gratiam dantem posse, non impelleretur ad actus liberos per gratiam dantem velle, hoc est dantem motus indeliberatos voluntatis, inclinantes ad actus liberos bonos: actus meritorij hominum in natura lapsa procedunt ab eorum libero arbitrio non sic indifferenti, sed per motus indeliberatos impulso, & inclinato ad actus bonos; ergo actus meritorij Adami, & Angelorum speciali modo fuerunt ab eorum libero arbitrio in perfecta indifferentia, & æquilibrio constituto, quo speciali modo actus nostri meritorij non procedunt à nostro libero arbitrio; & proportionaliter actus meritorij hominum in natura lapsa speciali modo procedunt à gratia liberum arbitrium inclinante per præuios motus indeliberatos, quo speciali modo actus liberi Adami, & Angelorum non procedebant à gratia. Secundo actus meritorij Adami procedebant ex libero arbitrio naturali, hoc est gratuito illi dato in ipsa productione naturæ, quod erat sanum, ac inculpabile, & liberum ab omni seruitute peccati, hoc est à concupiscentia, quod liberum arbitrium ad merendum adiuuabatur à gratia, & adiutorio Dei: actus meritorij hominum in natura lapsa procedunt non à libero arbitrio naturali, ac dato Adamo in conditione naturæ, quod per peccatum amisimus, sed à libero arbitrio infirmo, & seruo peccati, hoc est concupiscentiæ, ac liberato per gratiam Christi: ergo actus meritorij Adami speciali modo pendebant à libero arbitrio naturali, actus meritorij hominum in natura lapsa speciali modo pendebant à gratia Christi liberante liberum arbitrium à seruitute peccati.

24. De utroque speciali modo, quo actus meritorij Adami pendebant à libero arbitrio, actus meritorij nostri pendunt à gratia, sæpe loquitur S. Augustinus. De secundo modo lib. de natura, & Gratia, cap. 42. in fine, & cap. 43. in principio dicit. *Verum est autem, quod ait Pelagius, quod Deus tam bonus, quam iustus talem hominem fecerit, cui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset. Quis enim nescit sanum, & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad iustè viuendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem seminiuum latrones in via reliquerunt, qui granibus saucius, confossusque vulneribus, non ita potest ad iustitie culmen ascendere, sicut potuit inde descendere; qui etiam si iam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impotens inebet, sed inebendo monet & facere quod possis,*

& petere quod non possis; & concludit paulo post: medicina poterit, quod vitio non potest; ergo docet Adamum potuisse seruare præcepta per liberum arbitrium, quod in creatione acceperat sanum, nos non posse per liberum arbitrium vitiatum, sed posse per medicinam, qua Adam non indigebat. Lib. 14. de Ciu. cap. 11. dicit. Arbitrium igitur voluntatis tunc est verè liberum, cum vitijs, peccatisque non seruit. Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Vnde veritas dicit Io. 8. Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis; ergo docet Adamum potuisse seruare mandata, & non seruare peccato per liberum arbitrium, quod acceperat in creatione, nos posse solum per liberum arbitrium liberatum gratia Saluatoris. Idem docet lib. de corrept. & gratia, cap. 12. dicens. Illi ergo sine peccato ullo data est voluntas libera, & eam fecit seruare peccato: horum verò cum fuisset voluntas serua peccati, liberata est. Idem docuerunt Prosper, Fulgentius, & alij Augustini discipuli. Prosper ad Capitula Gallo- rum, responsione 8. dicit. Neque hæc dona, potestatem nimirum exercendi actus supernaturales, & meritorios vitæ æternæ, ita ex Deo esse opinemur, ut quia natura auctor est, per conditionem iam hæc contulisse videatur: quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, sed omnes iam in illo amisimus, in quo omnes peccauimus; ergo docet Adamum potuisse exercere actus meritorios per dona in creatione accepta, nos non posse, sed indigere gratia liberante, ac sanante. S. Fulgentius lib. de Incarnat. & Gratia, cap. 22. dicit. Hæc igitur in homine diuinitus agitur, dum ei Deus fidem infundit, ut gratia dono virtutem credendi natura recipiat, quam amisit; ergo docet Adamum potuisse credere per virtutem credendi, quam acceperat in creatione naturæ, nos illam amisisse, & indigere gratia Christi. Auctor Hypognosticon lib. 3. cap. 1. dicit: Neminem posse per se sibi implere quod velit rectè dicimus, nisi protoplaston solum potuisse, cum voluntas liberi arbitrij fuisset sana illi ante culpam; ergo docet Adamum per vires in creatione acceptas potuisse obseruare præcepta, nos non posse, sed indigere gratia sanante. Demum Concilium Arausicanum can. 25. docet, quod secundum antiquorum Patrum definitiones per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est possit, nisi gratia eum, & misericordia diuina prauenerit; ergo docet Adamum per vires in creatione acceptas potuisse exercere actus meritorios, nos indigere ulteriori gratia praueniente, ac sanante.

25. Primum modum, quo actus meritorij Adami pendebant specialiter à libero arbitrio, quia pendebant ab illo ut perfectè indifferentes; actus meritorij nostri pendunt specialiter à gratia, quia pendunt à gratia per motus indeliberatos inclinante liberum arbitrium, insinuat Augustinus pluribus locis. Lib.

de correptione, & gratia, cap. 12. dicit. *Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id est in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare, vel non perseverare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut digne tanta bonitati, & bene vivendi facilitati perseverandi committerentur arbitrium &c.* nunc autem postquam illa magna peccati merito est amissa libertas, maioribus donis adiuvanda remansit infirmitas; ergo docet Adamo propter magnam, & perfectam libertatem, & indifferentiam, ac facilitatem observandi præcepta sine ulla resistentia concupiscentiæ, speciali modo commissum arbitrii perseverandi, nobis non ita commissum propter infirmitatem ortam ex concupiscentia, sed maioribus donis adiutam infirmitatem, impellendo nimirum voluntatem ad actus bonos per motus indeliberatos. Et paulo post; *Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere, quod vellet, non inclinando eius voluntatem per motus indeliberatos ad alteram partem; Infirmitas servavit, ut ipso dominante, invidiosissime quod bonum est vellet, & hoc deferere invidiosissime nollent; inclinando eorum voluntatem ad actus bonos per motus indeliberatos, ac per delectationes congruas.* In eodem sensu in enchirid. cap. 106. loquens de perfecta immortalitate, & beatitudine dicit. *Hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum, quamvis sine gratia nec tunc ullam meritum esse potuisset.* In natura nimirum integra beatitudinem speciali modo accepissent homines per merita liberi arbitrii perfecte indifferentis, ac non inclinati ad unam partem; in natura lapsa speciali modo accipiunt beatitudinem per merita gratiæ inclinantis ad unam partem. Lib. de Corrept. & Gratia, cap. 11. prope finem dicit. *Quid autem liberius libero arbitrio, quando non poterit servare peccato? in beatitudine nimirum, in qua erit confirmatum in gratia, quæ beatitudo, & confirmatio in gratia futura erat & homini, sicut facta est & Angelis sanctis merces meriti.* Nunc autem per peccatum perduto bono merito, in his, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat. Beatitudo Angelorum fuit speciali modo merces meriti, quia merita Angelorum speciali modo fuerunt ex libero arbitrio perfecte indifferenti: beatitudo hominum in natura lapsa speciali modo est merces gratiæ, quia nostra merita, speciali modo sunt ex gratia inclinante liberum arbitrium ad actus meritorios. Idcirco lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 15. merita naturæ integræ vocat merita humana, merita naturæ lapsæ vocat merita gratiæ, dicens. *Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet, quæ regnat Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et lib. de bono perseverantiæ, cap. 7. *Qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt. Fuerat in homine, antequam caderet. Quæ la-*

men libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire mernerunt. Post easum autem hominis non nisi ad gratiam suam, quæ nimirum Deus voluntatem inclinat per motus indeliberatos, & delectationes congruas, voluit pertinere, ut homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo; ergo ex Augustino merita Adami speciali modo fuerunt à libero arbitrio, quia fuerunt à libero arbitrio ut perfecte indifferente, & per gratiam adiuto quidem, sed non inclinato ad unam partem; merita nostra speciali modo sunt ex gratia, quia sunt ex gratia ut inclinante ad unam partem, licet libero arbitrio liberè consentiente gratiæ.

26. Opponit Iansenius lib. de gratia primi hominis & Angelorum, cap. 14. & 15. Quando adiutorium est tale, ut liberum arbitrium possit illo uti, vel non uti, iuxta doctrinam Augustini non est adiutorium quo, sed sine quo non; ergo ex Augustino merita Adami voluntatem impellit ad actus bonos per motus indeliberatos, quibus liberum arbitrium potest uti, vel non uti, consentire, vel non consentire; ergo non dat adiutorium quo, sed sine quo non. Probat maiorem: adiutorium enim quo ex Augustino est, quod ita potentiam iuvat, ut eam vi sua in actum extrahat, & ponat effectum, propter quem datur: adiutorium vero sine quo non est, quod ita potentiam iuvat, ut determinatio actus relinquatur ipsi potentia, quæ possit adiutorio illo uti, vel non uti.

27. Respondeo, negando maiorem, ac dico, S. Augustinum concedere, quod Deus in natura lapsa ita dat voluntati adiutorium quo, ut relinquat in potestate liberi arbitrii illo uti, vel non uti. Patet. Nam ex Sancto Augustino tractio, quæ Deus in natura lapsa prædestinatos trahit, est adiutorium quo: sed illa tractio ex Augustino est talis, ut liberum arbitrium possit illa uti, vel non uti, consentire, vel non consentire; ergo &c. Probat minor; nam Augustinus lib. 2. contra Petilianum, cap. 54. dicit: *Quomodo attrahit si dimittit, ut quis quod voluerit eligat? & tamen utrumque verum est. Sed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Ideo S. Augustinum sequens Concilium Senonense cap. 15. docet non esse tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit; & S. Thomas quodlib. 1. quæst. 4. art. 6. ad 2. dicit: *Sic Deus movet naturam humanam ad bonum, ut tamen possit huic motioni resistere, adeoque resistendo illa non vit.*

Adiutorium ergo quo ex Augustino lib. de Corrept. & Gratia, cap. 12. est non solum sine quo non fit, sed etiam quo fit, propter quod datur; sed delectatio congrua, etiam si possit voluntas illi consentire, vel non consentire, tamen ea data, continuo fit, ut fiat actus bonus; ergo etiam si fit adiutorium quo voluntas

tas

tas potest uti, vel non uti, tamen est adiutorium quo.

28. Urget: alimenta etiam si dentur in circumstantiis, quibus homo est illis usus ad viuendum, tamen sunt solum adiutorium sine quo non, non autem adiutorium quo, ex hoc præcisè, quia homo potest illis uti, vel non uti, idemque valet de cæteris; ergo etiam delectatio, licet detur in circumstantiis, in quibus homo est illi consensurus, tamen est solum adiutorium sine quo non, non autem quo.

29. Respondeo, quod alimenta secundum se præcisè sunt solum adiutorium sine quo non; sed in quantum dantur in circumstantiis, in quibus videntur causatura motus indeliberatos congruos, hoc est tales, ut liberum arbitrium sit illis consensurum, sunt adiutorium non solum sine quo non, sed etiam quo; nam eo ipso sunt adiutorium, quo continuò fit, ut quis viuatur, quod ex S. Augustino sufficit ad adiutorium quo.

30. Dices: Deus per adiutorium quo præueniens facit, ut faciamus, ideoque Ezechielis 27. dicitur, *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis*; sed si auxilium quo, & præueniens esset tale, ut possemus per liberum arbitrium illo uti, vel non uti, non gratia, seu adiutorium quo faceret, ut faciamus, sed nos faceremus, ut gratia faceret effectum, ad quem datur: ex gratia non gratia præueniens faceret, ut peccator faceret actum contritionis, sed peccator faceret, ut gratia præueniens concurreret ad actum contritionis; ergo. Probatum minor. Nam quando ad aliquem effectum concurrunt indiuisibiliter due causæ, altera ut indifferens, & indeterminabilis, altera ut determinatiua, causa determinatiua facit, ut causa determinabilis faciat, non è conuerso: ex gr. si alicui dentur alæ, quibus posset uti, vel non uti, ille faceret, ut alæ concurrerent ad volatum, non alæ facerent, ut ille volaret: sed gratia præueniens non determinaret liberum arbitrium ad faciendum actum contritionis, sed liberum arbitrium, quod posset uti, vel non uti gratia præueniente, determinaret gratiam ad efficiendum actum contritionis: ergo &c.

31. Confirmatur: nam ex doctrina S. Augustini lib. de Gratia, & libero arbitrio Deus per gratiam operatur in nobis sine nobis, & operatur, ut velimus: sed si gratia esset indifferens, & nos illam determinaremus, non gratia operaretur, ut velimus, sed nos operaremur, ut gratia concurreret ad volendum; ergo &c.

32. Respondeo, quod ex Augustino Deus per cogitationes, & inspirationes, seu delectationes congruas, quibus possumus uti, vel non uti, consentire, vel non consentire, fortiter, & suauius facit, ut faciamus, dat nobis ipsum velle, & operatur, ut velimus. S. Augustinus enim lib. de Spiritu, & litera, cap. 34. dicit: *Attendat, & videat, non ideo tantum istam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbi-*

trio, est, verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, sine per extrinsecas exhortationes, &c. sine intrinsecis, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem: sed consentire, vel dissentire propria voluntatis est; ergo iuxta sanctum Augustinum Deus agit, ut velimus, & ut credamus intrinsecus visorum suasionibus, hoc est inmittendo nobis cogitationes, & motus indeliberatos, quæ suadendo & delectando faciunt, ut velimus, & credamus, sed ita ut possimus consentire, vel non consentire, adeoque ut possimus gratiæ resistere: sed has visorum suasionem vocamus cogitationes, & inspirationes congruas: ergo Deus facit, ut velimus, & credamus, & operatur in nobis ipsum velle, & ipsum credere per cogitationes, & inspirationes congruas.

33. Sed adhuc magis explicandum, quo pacto Deus per cogitationes, & inspirationes congruas faciat, ut velimus, operetur in nobis ipsum velle, & donet ipsum liberum consensum.

34. Dicendum, quod qui ex fine, ut alter aliquid faciat, aut velit, ponit medium imperij, vel suasionis, ex quo videt secuturum, ut ille faciat, & velit, eo ipso dicitur per imperium, vel suasionem facere, ut faciat, & velit: exemp. gratia dominus per imperium dicitur facere, ut seruus faciat quod illi imperat; amicus persuasiones dicitur facere, ut amicus faciat quod illi suadet; sed Deus quia vult, ut peccator ex gr. conuertatur, ponit media, non solum extrinseci præcepti, sed etiam intrinseci suasionis, nimirum pias cogitationes, & inspirationes, ex quibus videt peccatorem liberè conuertendum; ergo Deus à fortiori per cogitationes, & inspirationes congruas facit, ut peccator liberè conuertatur, & ut faciat actus bonos, præsertim cum in mea sententia tradenda in tractatu de Gratia pias cogitationes, & inspirationes non solum moraliter, sed etiam physicè concurrant ad actus bonos, ac Deus per suam omnimodiam potentiam immediatè concurrat ad actus bonos. Hinc sequitur, quod licet homo suadens solum moraliter faciat, ut amicus ex gr. faciat quod suadet, Deus per pias cogitationes & inspirationes non solum moraliter, sed etiam physicè faciat, ut faciamus actus bonos. Intantum enim homo suadendo solum moraliter facit, ut amicus aliquid faciat, quatenus suasio est causa solum moralis, non autem physica, ut amicus faciat quod suadet; sed cogitationes, & inspirationes congruæ sunt causa non solum moralis, sed physica, ut faciamus actus bonos, siquidem physicè concurrunt ad producendos actus bonos; ergo Deus non solum moraliter, sed etiam physicè facit, ut faciamus actus bonos. Sequitur rursum, quod Deus physicè, & per se efficit in nobis actus bonos, eosque nobis donat, siquidem physicè, & ex intentione libera actus bonos nobis donandi, ad actus bonos immediatè concurrunt, eosque producit, nobis liberè cooperantibus.

35. Ad argumentum in contrarium, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem concedo maiorem, ac distingo minorem: gratia, & adiutorium quo præueniens simul cum libero arbitrio non determinat liberum arbitrium ad faciendum actum contritionis, producendo ipsam determinationem. simul cum libero arbitrio, nego: gratia præueniens seorsim à libero arbitrio non determinat liberum arbitrium ad faciendum actum contritionis, concedo: & nego consequentiam. Ad actus bonos concurrunt indissolubiler liberum arbitrium, & gratia præueniens, tanquam vna causa totalis indifferens in actu primo, ac determinabilis simul, & determinatiua sui ipsius in actu secundo iuxta illud Apostoli ad Corint. 15. *Non ego autem, sed gratia Dei meum.*

36. Dices primo: quandoquidem gratia, simul cum libero arbitrio determinat actus bonos, quare potius dicitur gratia facere, vt liberum arbitrium faciat, quam è conuerso?

37. Respondeo, quod gratia solum vt quo facit, vt liberum arbitrium faciat, ideoque non tam gratia facit, vt liberum arbitrium faciat, quam Deus per gratiam facit, vt liberum arbitrium faciat, iuxta illud Ezechielis

27. *Spiritum meum ponam in medio vestrum, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Ratio, quare Deus per gratiam faciat, vt faciamus, non nos faciamus, vt Deus faciat, est, quia cum duo ita concurrunt ad aliquam actionem, vt vnus eorum ex intentione talis actionis ponat medium, ex quo videt infallibiliter sequuturam talem actionem, ille dicitur non solum facere illam actionem, sed etiam per medium positum facere, vt alter concurrat ad illam actionem: sed Deus ita nobiscum facit omnes actus bonos, vt ex intentione actuum bonorum ponat media cogitationis, & inspirationis congruæ, ex quibus videt infallibiliter sequuturos actus bonos: ergo Deus per cogitationes, & inspirationes congruas facit, vt faciamus actus bonos, adeoque gratia præueniens vt quo, Deus vt quod per gratiam præuenientem facit, vt faciamus actus bonos, nos è conuerso non facimus, vt Deus faciat. Ex opposita ratione Deus non facit, vt faciamus actus malos, quia non intendit, vt faciamus actus malos, neque ponit vllum medium, vt faciamus actus malos, sed ponit media piarum cogitationum, & inspirationum retrahentium, ab actibus malis, videns liberum arbitrium non vsurum talibus medijs, sed illis restitutum, & facturum actus malos, Deo purè illos permittente. Hinc patet disparitas ad exemplum alarum. Ideo enim ego si haberem alas, facerem, vt alæ concurrerent ad volatum, quia ponerem intentionem volandi, ad quam alæ non concurrerent, & quæ determinaret in actu primo alas ad volandum: sed liberum arbitrium non ponit vllam determinationem ad actum bonum, ad quam non concurrat gratia præueniens: ergo exemplum alarum,

non est ad rem, sed potius retorquetur,

38. Dices secundo; actus bonus, supposito auxilio præueniente, est liber nobis, & non Deo; sed tribuitur illi, cui est liber; ergo tribuitur nobis, & non Deo, quod est absurdum.

39. Respondeo distingo maiorem. Actus bonus, supposito auxilio præueniente, est liber nobis, & non est liber Deo noua libertate, sed ita, vt simpliciter, & absolute sit liber Deo danti auxilium præueniens, concedo; ita vt simpliciter, & absolute non sit liber Deo, nego: concedo minorem: & nego consequentiam. Deus supposito, quod dederit auxilium præueniens, ex quo videt sequuturum actum bonum, non est liber noua libertate ad dandum, vel non dandum actum bonum, sed nos per auxilium diuinum sumus liberi ad actum bonum faciendum, vel non faciendum. Verum quia Deus est liber ad dandum, vel non dandum auxilium præueniens, ex quo videt sequuturum actum bonum, est simpliciter, & absolute liber ad dandum, vel non dandum, actum bonum, & ad faciendum, vt actum bonum faciamus, vel non faciamus, ideoque actus bonus tribuendus est nobis, qui supposito auxilio præueniente, liberè facimus actum bonum, & Deo, qui liberè dando auxilium, liberè facit, vt faciamus actum bonum. Hinc etiam patet, quo pacto idem actus sit liber nobis, & Deo. Est enim liber nobis ex suppositione auxilij præuenientis; est liber Deo in ipsa suppositione: siquidem Deus potest dando auxilium congruum, dare actum bonum, & non dando auxilium congruum, non dare actum bonum.

QVAESTIO CCLXV.

Vtrum merita, & perseuerantia in statu naturæ integræ hominum, & Angelorum fuerint specialia dona Dei?

1. **V**identur merita, & perseuerantia primi hominis, & Angelorum in statu naturæ integræ non fuisse specialia dona Dei. Nam speciale donum est, quod Deus per speciale gratiæ adiutorium donat, non solum ita, vt sine illo liberum arbitrium id non possit habere, si velit, vel illo adiuuante, possit habere, si velit, sed etiam, vt per illud velit; sed Deus hominibus, & Angelis in statu naturæ integræ dedit solum adiutorium, sine quo non possent habere merita, si vellent, & quo adiuuante, possent habere, si vellent, quod vocatur adiutorium *sine quo non*, & non dedit adiutorium, quo continuo fieret, vt vellent, sed hoc adiutorium quo reseruauit naturæ lapæ, vt sæpe docet S. Augustinus locis allatis questione 254. ergo.

2. Respondeo, quod Iansenius lib. de gratia primi hominis, & Angelorum, postquam cap.